tota, et partes omnes, et singulæ sunt, et tot, et inter se similes, erit tota et sibi, et partibus similaris. Et quia similaris, etiam uniformis. Et quia sibi uniformis tota, et partes, et omnes, et singulæ sunt inter se uniformes. Et ob id una, et tota, et partes una comprehenduntur diffinitione. Et quia id, cuique eius parti, totius definitio conveniet. Et quia id, essentia quoque omnis rectæ lineæ erit. Et quia id, proprietates quoque essentiales omnium rectarum linearum, eædem sunt. Et quia id, omnes rectæ lineæ eiusdem sunt speciæ. Et quia id, in eadem specie perseverat. Et quia id a sua specie non variant. Et quia id, a sua specie non exeunt. Et quia id, a tuo situ non dimoventur. Et quia id, omnis recta, omni rectæ adaprabitur, et supraponetur, neque ulla ab eodem situ demovebitur. Et quia id, erunt omnes inalterabiles. Et quia id, neque inter se commiscebuntur, neque cum alia. Et quia id, simplex erit. Et quia id, simplex conservabitur. Et quia id, regula erit, omnis non rectæ, quæ ad eadem cum ipsa puncta terminat. Resolvamus. Omnis recta, regula est non rectæ, quæ ad eadem puncta terminat. Et id, quia simplex, et conservatur, et est. Et id, quia cum non recta non miscetur. Et id, quia non alteratur. Et id, quia rectæ omnes sibi invicem, adaptantur. Et id, quia et tota, et partibus eundem servat situm. Et id, quia nulla, ab alia evariat. Et id, quia eiusdem est speciei. Et id, quia essentiales proprietates omnium rectarum sunt eædem. Et id, quia omnes rectæ, eiusdem sunt essentiæ. Et id, quia una omnes comprehenduntur deffinitione. Et id, quia partes, et totum sub eadem sunt deffinitione. Et id, quia et tota, et partes sunt uniformes. Et id, quia tota sibi toti est uniformis. Et id, quia tota est similaris. Et id, quia partes, et totæ sunt similes. Et id, quia partes omnes sunt lineæ rectæ. Et id, quia partes inter sua duo puncta æque iacent. Et id, quia omnes inter duo totius puncta æque iacent. Et id, quia tota inter sua duo puncta æque iacent. Et id, quia inter duo puncta est brevissima. Et id, quia unum tantum inter ea duo puncta, spacium intercipit. Atque hæ affectiones, ita sunt recta lineæ propriæ ut, neque lineæ in genere, neque linei curvæ ullo modo competunt.

DE RECTIS LINEIS SESE
non tangentibus, respectum tamen
aliquem habentibus

Respectum voco eum situm, quem una linea recta ad aliam unam, pluresue habet, et non sese tangunt.

Respectus hic quatuor habet positus.

Primum, quando duæ, aut plures rectæ lineæ sese in longitudinem sequuntur. Has consequentes voco. De quibus veteres nihil prodiderunt.

Secundum. Quando duæ pluresve rectæ lineæ latitudine tantum quadam inter se distant, idque bifariam.

Altero, quando equaliter inter se distant. Veteres parallellas vocavere; parum tamen de eis sunt locuti.

Altero autem, quando non æqualiter inter se distant, eas nos inclinatas appellamus. De quibus veteres nihil.

Quarto. Quando nullo modo prædictorum, inter se distant, quas diseparatas nominamus. Et quas veteres non videntur cognovisse. De primis ergo prius agamus.

Inter duas pluresue rectas lineas consequentes, spacium iacet. Nam si spacium non interiacet, eæ sese contingunt, nec sunt amplius consequentes. Quia vero inter eas spacium iacet, inter earum proxima extrema iacet. Et quia inter proxima extrema iacet, inter proxima earum puncta iacet. Et ob hoc, poterit per spacium id, a puncto ad punctum linea duci, eaque linea brevissima erit. Et ideo recta. Et ideo etiam eiusdem speciei cum prioribus, sese consequentibus. Et ideo, una cum iis est facta. Atque ideo omnes ei proprietates convenient, de quibus cum de recta linea ageremus, diximus. Et resolvi possunt ita, quia una cum eis est facta, eiusdem est speciei cum illis. Ideoque est recta, idque